Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Si tibi uir grauis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes pollicentis fidem. nec te
falli aut decipi ab eo crederes, quem in sermonibus stare atque in actibus suis scires.
Deus tecum loquitur et tu mente incredula perfidus fluctuas. Deus de hoc mundo rece-
denti immortalitatem atque eternitatem pollicetur, et dubitas. hoc est deum omnino
non nosse. hoc est christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere. hoc est
in ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere. quantum prosit exire de saeculo, christus
ipse salutis atque utilitatis nostre magister ostendit. qui cum discipuli eius contristarentur
quod se iam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens. Si me dilexissetis, gauderetis.
quia uado ad patrem. docens et ostendens tunc cum cari quos diligimus de saeculo exeunt.
gaudendum esse potius quam dolendum. Cuius rei memor beatus apostolus paulus in epistola
sua ponit et dicit. Michi uiuere christus est et mori lucrum. Lucrum maximum compu-
tans iam saeculi laqueis non teneri, iam nullis concupiscentiis et uitiis carnis obnoxium
fieri. exemptum pressuris angentibus et seuientis zabuli faucibus liberatum. ad leticiam
salutis eterne uocante proficisci christo. At enim quosdam mouet quod equaliter cum gentibus
nostros quoque morbi istius ualitudo corripiat. quasi ad hoc crediderit christi-
anus. ut immunis a contactu malorum. mundo feliciter perfruatur. et non omnia hic
aduersa perpessus. ad futuram leticiam reseruetur. Mouet quosdam quod sit nobis cum
ceteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum
ceteris. quamdiu adhuc secundum legem prime natiuitatis manet. caro ista communis.
Quo adusque isthic in mundo sumus. cum genere humano carnis equalitate coniun-
gimur. spiritu separamur. Itaque donec corruptiuum istud induat incorruptionem.
et mortale hoc accipiat immortalitatem. et spiritus perducat nos ad deum patrem. que-
cumque sunt carnis incommoda. sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum fetu
sterili terra ieiuna est. neminem fames separat. sic cum irruptione hostili ciuitas
aliqua possessa est. omnes simul captiuitas uastat. et quando imbrem nubila
serena suspendunt. omnibus siccitas una est. et cum nauem scopulosa saxa constringunt.
nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. et oculorum dolor et impetus
febrium. et omnium ualitudo membrorum cum ceteris communis est nobis. quamdiu portatur
in saeculo caro ista communis. Quin immo si qua conditione qua lege crediderit christia-
nus noscat et teneat. sciat sibi et plus quam ceteris in saeculo laborandum. cui magis sit

fidei